

Dissertatio medica inauguralis de dyspepsia : quam annuente summo numine ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird SS. T.P. academiae Edinburgenae praefecti; nencon amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimæ facultatis medicæ decreto; pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus ac privilegiis, rite et legitime consequendis; eruditorum examini subjicit / Joannes Troy Martin, Anglus ... ; IV id Julii, hora locoque solitis.

Contributors

Martin, John Troy, active 1832.
Baird, George Husband, 1761-1840.
Martin, John Troy, active 1832
Stone, Thomas, active 1832
St. Thomas's Hospital. Medical School. Library
King's College London

Publication/Creation

Edinburgi [Edinburgh] : Excudebat Jacobus Walker, MDCCCXXXII [1832]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/efrbsaxv>

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by King's College London. The original may be consulted at King's College London. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
Elibrary@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

p. 45.



Thomas Stone Esq
with the best wishes of
and the Author. -

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

JOANNES TROY MARTIN,

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

PHYSICAL SCIENCES

AND

ENGINEERING

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

PHYSICAL SCIENCES

AND

ENGINEERING

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

PHYSICAL SCIENCES

AND

ENGINEERING

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

PHYSICAL SCIENCES

AND

ENGINEERING

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES TROY MARTIN,

Anglus,

REGII COLLEGII CHIRURG. LOND. SOCIO, ET
SOC. REG. MED. ED. SOC. EXTRAOR.

IV. Id. Julii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS WALKER.

MDCCCXXXII.

71 746
TOMMY

DISSECTATIO MEDICA

IN

DE

D. GEORGE BAIRD, SR. JR.

ET

DE

DE

DE

DE

JOHN

DE

DE

DE

DE

DE



VIRO CLARISSIMO ET PERITISSIMO,

JOSEPHO HENRICO GREEN,

REGII COLLEGII CHIRURG. LOND. SOCIO,

ATQUE CHIRURGIÆ IN COLLEGIO REG. LOND.

NECNON ANATOMIÆ IN ACADEMIA REGIA PROFESSORI,

§c. §c. §c.

CUJUS SUB AUSPICIIS

PRIMA SCIENTIÆ ELEMENTA

HAUSIT ;

PAGINAS SEQUENTES,

TESTIMONIUM QUANQUAM EXIGUUM

ÆSTIMATIONIS ET VENERATIONIS,

INSCRIBIT

AUCTOR.

*Ut semel dicam, una gula est omnium morborum mater,
etiamsi alius est genitor. FERNELIUS.*

*Quoniam autem ex tribus medicinæ partibus, ut difficillima,
sic etiam clarissima est ea, quæ morbis medetur, ante omnia de
hac dicendum est. CELSUS, Lib. 1.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

QUUM consideramus quanti momenti sit, in corpore animali, Functio Ventriculi et Intestinorum, quamque multis causis haec functio plus minusve perturbari possit, mirari non licet, aut Dyspepsiam morbum frequentissimum esse, aut eandem plurima pessimaque mala corpori inferre. Etenim canalis intestinalis ab ore ad anum se extendens, non solum per se admodum multiplex est, sed cum omnibus pene aliis corporis partibus per

arctissimam sympathiam conjungitur ; quocirca nulla ejus portio male se habere potest, quin alias omnes, atque adeo universum corpus, quodammodo afficiat ; et quamvis verum quidem est Ventriculum humanum multis rebus accommodare se posse, tamen ingluviem hominum, intemperantiam, desidiam, aliaque similia, diu sustinere sine incommodo nequit. In Dyspepsia autem considerata incipiam a Causis ejus, posteaque de Signis atque Diagnosi loquar, et tandem eam Curationem subjiciam quae in hoc morbo felicissima esse videtur.

DE DYSPEPSIAE CAUSIS.

CAUSAE Remotae Dyspepsiae dividi possunt in eas quae in totum corpus, atque in eas quae in ipsum Ventriculum protinus operantur.

Ex prioribus praecipuae esse videntur, inter divites, luxuria, nimiaque in rebus omnibus indulgentia, et defectus idoneae exercitationis, quae tantopere semper confert ad omnes corporis functiones integras servandas : ad haec, horae parum natu-

rales dormiendi cibosque sumendi, et consuetus usus ciborum nimis generosorum atque vinorum. In pauperibus quidem pleraeque ex his causis nullum locum habent, sed, vice earum, sunt sordes, nimisque angustae aedes, quarum aër nunquam purus est, vestimenta parum idonea ad frigora excludenda, et frequens expositio tempestatis mutationibus, quae saepe non minus nocet quam exercitationis omnis negligentia; quinetiam in multis artificibus accedit quoque caeteris causis perpetua pene desidia; insuper, ut divitum cibi nimis luxuriosi esse solent, ita pauperes cibis nimis tenuibus plerumque utuntur, iisque qui ad corporis robora sustinenda parum valent. Sed aliae causae generales quoque Dyspepsiae sunt, divitibus pauperibusque communes; quales sunt profluvia aliqua humorum nimis copiosa, Venus nimia et longa sollicitudo, aliive affectus animi deprimentes. Accedit etiam his alvus ex consuetudine astricta; quae quam saepe causa remota Dyspepsiae sit a MARSHALL HALL * commode ostenditur. Denique,

* On the Mimoses, p. 174.

quicquid corporis generales vires imminuit, id hunc morbum facillime excitare potest; etenim tantus est (uti supra diximus) consensus inter reliquum totum corpus et Ventriculum, ut prius infirmari nullo modo possit, quin posterior pari ratione semper afficiatur. Est etiam ex hac sympathia quod Dyspepsia tam saepe varios alios morbos, veluti Hypochondriasin, Hysteriam, Chlorosin, Rheumatismum, Podagram, Morbos Calculosos, comitari consuevit.

Supersunt autem eae causae Dyspepsiae quae protinus in Ventriculum operantur; cujusmodi sunt potuum ardentium abusus, vel nimia indulgentia in potibus diluentibus, quales sunt Theae, Caffeeaeque; ad haec, nimius usus Tabaci, et consuetudo medicamenta opiata aliave narcotica sumendi, eodem multum conferre videntur, simulque cibi rebus aromaticis nimis conditi, et ventriculi ullis cibis nimia distentio. Denique, frequens vomitus, sive sponte, sive arte efficitur, Ventriculum plurimum debilitat, atque ita Dyspepsiam movere potest; eademque non raro excitari videtur organorum prope Ventriculum plurimis malis, quo

fit ut hunc aut comprimant, aut per sympathiam quodammodo male habeant.

Quod attinet autem ad Dyspepsiae Causam Proximam, parum quidem adhuc inter medicos constare videtur cujusmodi haec sit. Secundum CULLEN *, praecipua pars morbi in imbecillitate fibrarum musculosarum Ventriculi consistit ; cui accedit fortasse vitiata aliqua conditio propriorum ejus humorum ; sed qualis sit haec conditio, ut fatetur, parum manifestum est. Ab altera parte existimat PARRY †, proximam causam Dyspepsiae esse nimiam plenitudinem vasorum sanguiferorum tunicae villosae Ventriculi ; id quod colligit ex abundantia secretionum ejus naturalium, simul cum cardialgia, adauctaque ejus generali sensibilitate : verum haec omnia, ut plerumque quidem occurrunt, ita nullo modo perpetua sunt. A WILSON PHILIP ‡ refertur Dyspepsia ad imminutas vires, non quidem fibrarum musculosarum, sed vasorum sanguiferorum et nervorum Ventriculi ;

* Cullen and Gregory's Practice of Physic, p. 42.

† Elements of Pathology and Therapeutics.

‡ On Indigestion, p. 92.

dum rursus a JOHNSON * totus morbus ex praeternaturali Ventriculi sensibilitate constare dicitur. Denique, uti docent BROUSSAIS † ipsiusque Sectatores, Dyspepsia nullo modo a longa Gastro-enteritide distat ; siquidem per vitam eadem omnino indicia ostendit, et post mortem eadem vestigia relinquit. Uti mihi quidem videtur, quamvis singulae istae opiniones aliquatenus verae esse possint, tamen nulla totam veritatem comprehendit. Incipit fortasse morbus (ut putat JOHNSON) a praeternaturali ventriculi sensibilitate, excitata, ut verisimile est, praeternaturalibus stimulis quibus objectus est ; verum haec diu persistere non potest, quin debilitatem omnium ejus partium (secundum CULLEN et PHILIP) moveat, quam necessario citius tardiusve sequitur sanguinis in tunica ejus villosa (uti credit PARRY) accumulatio, et denique fortasse (id quod arbitratur BROUSSAIS) longa inflammatio veraque Gastro-enteritis. Maxima autem pars morbi, ut ego quidem puto, debilitas est ;

* On the Morbid Sensibility of the Stomach.

† Histoire des Phlegmasies, &c.

quocirca hanc ut depellat praecipua cura studium-
que medici esse debet.

DE SIGNIS DIAGNOSIQUE DYSPEPSIAE.

Non incommode quidem praecipua signa Dyspepsiae a CELSO *, in brevi ejus, sed pulcherrima morborum historia, sequentibus verbis enumerantur : “ Stomachum autem infirmum indicant pal-
lor, macies, praecordiorum dolor, nausea, nolen-
tium vomitus, in jejuno dolor capitis ;” adjicit-
que idem, “ quae in quo non sunt is firmi stomachi
est.” Solebat autem postea hic morbus plerum-
que cum Hypochondriasi confundi, uti a SYDEN-
HAM † aliisque multis ante CULLEN ‡ factum est ;
cui demum laus debetur alteram ab altera primum
recte distinguendi. Praecipua autem Dyspepsiae
indicia, uti ab hoc summo viro proponuntur, sunt
modo anorexia, modo summa cibi cupiditas, prae-

* De Medicina, lib. iv.

† Opera Omnia, p. 388.

‡ Cullen and Gregory's Practice of Physic, p. 54.

cordiorum, maxime post acceptum cibum, oppressio, subinde eructationes ructusque variarum rerum, quibus accedunt saepe nausea atque vomitus; interdum cardialgia, sive Ventriculi acor, interdum gastrodynia, sive ejusdem organi spasmus, et denique alvus plerumque astricta, nonnunquam tamen cum Diarrhoea alternans; atque haec omnia, ut ille inquit, sine ullo Ventriculi ipsius vitio organico. Verum haec signorum enumeratio nullo modo totam Dyspepsiae historiam comprehendit; neque enim aliquid pene in corpore organum est, quod effectus ejus mali aliquatenus non saepe ostendit. Dolor capitis plerumque est, modo pene perpetuus, modo solum inter cibos concoquendos, cum tumultuosis somniis noctu, atque interdiu cum solitudine tristitiaque; sic tamen ut haec non tam gravis atque perpetua sit, uti animadvertit CULLEN, quam in Hypochondriasi esse solet. Visus quoque quodammodo saepe impeditur, tinnitusque aurium est; quodque summam considerationem postulat, linguae conditio multum mutatur, ut quae albida plerumque, sicca atque subaspera sit, maxime ad radicem ejus, ubi papillae solito lon-

giores sunt, saepeque crassa tunica flava conteguntur. Haec omnia maxime evidentia sunt ubi primum homo expergiscitur; cum lingua plerumque praeter naturam plana et rotunda est, cumque aspretudo radicis ejus immisso in os digito optime percipitur. His accedit sitis, cum malo sapore, foetidoque oris odore. Urget saepe etiam Dyspnoea, magnaue ex levissima exercitatione fatigatio; cum cordis crebris palpitationibus, et pulsu admodum vario, quamvis, secundum PHILIP *, hic plerumque durus est in secundo morbi stadio. Venter quoque, uti inquit ARMSTRONG, saepe durus est, et praeter naturam complanatus. Ad haec summa macies interdum corpus occupat; extremae partes, maximeque pedes, frigescunt, et tota cutis mollis pallidaque, et quasi oedematosa esse solet. Oportet tamen meminisse, quod ex his signis modo plura, modo pauciora, in singulis exemplis occurrunt; neque enim in uno aliquo omnia simul unquam reperiuntur.

Rationale autem plerorumque signorum supra propositorum difficile non erit, si consideramus

* On Indigestion, pp. 30. et 31.

naturales mutationes ciborum in hoc morbo nunquam perfici, atque ita alias aliquas, veluti in fermentatione atque putrefactione, plus minusve semper procedere *. Hinc oritur variorum acidorum corporumque aëreorum evolutio ; quo fit ut Ventriculus opprimatur, excitenturque saepe eructationes, nausea vomitusque, cardialgia, et reliqua omnia quae propria quasi Dyspepsiae esse supra diximus. Caetera autem signa, quae quodammodo adventitia sunt, solum ad consensum inter ventriculum caeteraque corporis organa referri possunt.

Ex iis quae supra dicta sunt, satis manifestum erit Dyspepsiam pro plurimis aliis morbis sumi posse ; neque enim aliquid pene signum his tam proprium est, quin interdum in Dyspepsia quoque idem occurrat. Igitur, propter praecordiorum oppressionem, eructationes, nauseam vomitumque, cum cardialgia et gastrodynia, potest non raro pro Ventriculi Exulceratione aut Pylori scirrho sumi : verum a priore distingui potest defectu signorum febrilium, generalisque debilitatis, atque summae

* Magendie's Compend. of Physiology, p. 257. Abercrombie on Diseases of the Stomach and Intestinal Canal.

epigastrii teneritudinis ; a posteriore, quia nullus tumor in epigastrio est, post cibum protinus ascendens, neque vomitus semper tres quatuorve horas postea occurrit, neque tantus faciei pallor, tantave corporis macies est, neque plerumque ulla febris hectica se ostendit. A prava concoctione duodenali, uti vocatur, discernitur Dyspepsia, quia dolor magis in ipso epigastrio quam a dextra ejus parte est, et supervenit protinus post acceptum cibum, non aliquot horas postea ; ad hoc, aliquid tumoris in sede intestini percipi saepe in priore potest, et secundum YEATS *, pulsus exiguus et fluctuans saepe redditur compressione venae cavae intestino dilatato. A plerisque vitiis Jecoris atque Lienis dignoscitur Dyspepsia praecipue diversa sede doloris, diverso aspectu stercoris atque urinae, et diverso colore cutis et oculorum. Ex dolore capitis autem somniisque tumultuosis, et perturbato visu audituque, suspicari interdum possumus affectum aliquem capitis ; sed discernitur Dyspepsia quia ut plurimas alias praeter has molestias habet, ita

* On the Duodenum, Med. Trans. vi. p. 325.

signa ea plenitudinis desiderat, quae in capitis morbis plerumque accedunt. Diximus supra quemadmodum tristitia in Dyspepsia ab ea quae in Hypochondriasi occurrit, distinguatur; adjicique hic potest, quod prior juniores atque sanguineos, posterior seniores et melancholicos plerumque vexat, quodque, ut tristitia major est in Hypochondriasi, ita reliqua dyspeptica signa multo minora esse solent. Supersunt morbi cordis solum, quos, propter dyspnoeam palpitationesque quas saepe movet, Dyspepsia interdum quodammodo repraesentat; verum tanto pejora haec signa in prioribus quam in posteriore esse solent, tamque multa alia admoto stethoscopio se ostendunt, ut in hac re falli vix possimus.

Dyspepsia, quamvis gravissimus quidem, molestissimusque morbus est, tamen per se non periculosa est, saepeque hominem ad ipsam senectutem trahit. Recte igitur a GREGORY dicitur, “A
“ prava concoctione ciborum innumera oriuntur
“ mala, neque levia, neque sanatu facilia, quamvis
“ raro periculosa observentur*.” Non raro autem

* Conspect. Med. Theoret. cap. xix.

citius tardiusve ad aliqua mala organica, ad Scirrhum, Hydropem, Phthisin, (cujus una species a PHILIP * dyspeptica appellatur,) aliaque similia ducit, atque ita hominem interimit. Post mortem, si levis affectus fuerit, reperitur saepe nihil nisi praeternaturalis ventriculi distentio, cum interdum aliqua vasorum sanguiferorum turgescencia. Dicitur ab ANDRAL † tunicas ventriculi non raro emolliri; verum dubium est annon hic aspectus potius ex solvente potestate succi gastrici oriatur ‡. Si gravior fuerit morbus, tunicae Ventriculi plerumque duriores crassioresque solito inveniuntur, maxime prope pylorum, qui saepe scirrhusus aut exulceratus est. Interdum tumores fungosi quoque in Ventriculi variis partibus sunt; idemque maxima ex parte aëre multum distenditur.

* On Indigestion, p. 336.

† *Precis d'Anatomie Pathol.* p. 83.

‡ Carswell, (*Ed. Med. and Surg. Jour.* Oct, 1830.) Gardner, (*Ed. Med. Chir. Trans.* vol. i.)

DE DYSPEPSIAE CURATIONE.

CONSILIA medendi, in hoc morbo, praecipue tria sunt ;

- 1^{mo}, Causas quae morbum excitarunt depellere ;
- 2^{do}, Signa quae maxime urgent levare ; et,
- 3^{tio}, Ventriculum, simulque universum corpus, corroborare.

Quod attinet autem ad primum consilium, modus hoc assequendi facile colligendus est ex iis quae jam dicta sunt de causis Dyspepsiae praedisponentibus et excitantibus, quae omnes diligenter evitandae sunt. Ex his autem nullae valentiores sunt quam desidia atque victus incuria ; quocirca nihil magis inculcandum est quam Exercitatio crebra, summaque in Diaeta cura.

Omnibus cognitum est quanta commoda ex quotidiana *Exercitatione* percipi soleant, quae, ut totum corpus, ita praecipue Ventriculum atque intestina confirmare videtur ; fortasse, ut putat MARSHALL HALL *, impediendo constrictam istam alvi

* Hall on the Mimoses, p. 174.

conditionem, quae ex desidia tam saepe oritur. Haec autem esse potest aut ambulatio, equitatiove, vel aliae similes, praecipueque navigatio, quae potissimum a JOHNSON laudatur, quaeque ideo maxime prodesse videtur quia purissimo aëre simul fruimur. Eodem modo plurimum saepe adjuvat peregrinatio quotannis ad locum maritimum, vel ad alium aliquem ubi aër purus est, animusque omni solitudine liber esse potest.

In *Diaeta* autem temperanda consideranda praecipue quatuor sunt; primum, intervalla inter cibos sumendos; alterum, ciborum quantitas; tertium, eorundem qualitas, et quartum, tempora diei quibus optime sumuntur. Igitur intervalla inter cibos satis diuturna esse debent, ut cibi, jam assumpti, commode concoquantur, sed non tam diuturna ut moveatur nimia aviditas. In Dyspepsia, cibi plerumque tardius a Ventriculo in intestina transeunt quam in sanitate; verum interdum, uti ostendit YEATS*, ex adaucta hujus organi actione, iidem semicrudi expelluntur, molestusque sensus

* On the Duodenum, Med. Trans. vi. 325.

vacuitatis aegrum urget ad ventriculum nimis mature replendum. Hoc autem parum tuto semper fit; sed non magis fortasse nocet quam a cibis nimis longa abstinencia, post quam homines tam avidè devorare solent, ut parum bene masticatio atque insalivatio efficiantur. Quantitas autem cibi in hoc morbo mediocris esse debet, potiusque exigua quam magna; abstinendumque praecipue inter cibos sumendos, a nimis potibus est, qui Ventriculum plurimum distendunt. Quod ad qualitatem vero ciborum attinet, repertum est, ab experimentis COOPER, MAGENDIE, TIEDEMANN aliorumque, cibos ex carnibus plerumque faciliores concoctu quam ex frugibus esse; vixque opus est dicere eos semper seligi debere, qui facillime concoquuntur; quales sunt caro bubula vitulinave aut ovina, eademque potius simpliciter decoctae, aut assae, quam salsae aut conditae. Qui desiderat longam enumerationem ciborum Dyspeptici aptorum, eum ad doctissima opera ABERCROMBIE *,

* Diseases of the Abdominal Viscera.

JOHNSON * atque PARIS † refero : interim illud solum dicam, plurimum hic aegri consuetudini semper concedendum esse, quaeque optime singulis respondent, ea diligenter praecipienda. Denique, quibus diei temporibus cibi sumi debeant, multum quoque ex variorum aegrorum consuetudine pendet. Plerumque vero tres cibi quotidie abunde sufficiunt ; quoque maturius in die capiuntur, si modo satis longum intervallam inter singulos sit, eo melius concoquuntur.

Venio nunc ad secundum consilium in Dyspepsia curanda, quod urgentium signorum levationem comprehendit. Ex his praecipua sunt, uti jam diximus ubi de morbi indiciis sermo fuit, Anorexia nimiae cibi cupiditas, sensus in Ventriculo oppressionis, eructationes, nausea vomitusque, cardialgia, gastrodynia, obstipatio, et denique ventris teneritudo, aliaeque quae incipientem inflammationem indicant : de his singulis igitur ordine nunc dicam. *Anorexia* rarius in recenti Dyspepsia

* On the Morbid Sensibility of the Stomach and Bowels

† On Diet.

quam *Cibi nimia Aviditas* occurrit : adversus priorem valent medicamenta corroborantia stimulantiaque et amara ; adversus posteriorem, (quae praecipue descripta est a LAWRENCE,) modo purgantia, modo antacida aliave similia, secundum causam unde orta est. Quod si magna *Oppressio praecordiorum* urget, adjuvat saepe leve vomitorium ; aut si ex aëris accumulatione est, medicamenta carminativa potusque calidi. Si cum hac simul somni magnum desiderium est, stimulantia medicamenta cum levi exercitatione postulantur, neque enim somno indulgere aeger debet. *Eructationes* aut ex aëre, aut ex crudis cibis, aut ex humore acido, aut denique ex bile constare possunt. Contra primum igitur aquae destillatae calidaque aromatica, veluti Spiritus Gallicus cum aqua, plurimum saepe prosunt ; sed si cum gravi dolore est, paulum Opii cum Cascarillae Infuso adhiberi potest, aut fortasse maximo commodo Murias Morphiae. At si crudi cibi ejiciuntur, adjuvant praecipue Vomitoria, et si cum dolore hoc fit, Opiata : laudatum est quoque in his exemplis Carbonium. Humoris Acidi ejectio postulat remedia antacida, qualia sunt

Magnesia, Calx, Potassa, Sodaque et Ammonia. Ex his, si cum magno languore acor ventriculi est, maxime prosunt medicamenta alkalina, veluti Spiritus Ammoniae Aromaticus aliaque similia; si cum alvo astricta idem occurrit, Magnesia potior est, si cum crebris dejectionibus, Calx, nam sales ex priore purgantia sunt, sed ex posteriore astringentia. Quod si citra ullum acorem ventriculi diarrhoea est, medicamenta proprie astringentia et aromatica, cum potibus mucilaginosi, fortasseque cum opio, maxime opitulantur. Denique, bilis ejectione saepe evitari potest, adhibito, paulo ante cibum, medicamento alkalino, cum infuso aliquo amaro. Sequuntur *Nausea Vomitusque*, adversus quos prosunt haustus salini acidaque mineralia, atque, prae caeteris, fortasse Muriaticum, partim ex proprietatibus ejus antisepticis, partim quia simillimum est ei quod naturaliter in Ventriculo continetur. Interdum tamen accidit, ut, ubi reliqua omnia fallunt, paulum aquae calidae, intus assumptae, multum proficiat in nausea depellenda, maxime foeminarum atque debilium. Ad haec, ubi gravior paulo est, calida fomenta, vel sinapismi vesicatoriave,

aut unguentum ex Antimonii et Potassae Tartrate, super Ventriculum admota, saepe plurimum adjuvant ; aut, si citra vomitum nausea est, ipsum vomitum lenioribus aliquibus medicamentis vomitoriis excitare, idque maxime, ubi oneratur Ventriculus nimia copia ciborum paulo ante assumptorum. Adversus *Cardialgiam* eadem valere solent quae adversus humoris acidi ejectionem, videlicet, medicamenta antacida, saepe cum antisepticis conjuncta ; interdum tamen simpliciter diluentia satis bene in Cardialgia tollenda respondent.

Gastrodynia autem evidenter ex Ventriculispasmo nascitur, postulatque remedia antispasmodica ; qualia sunt Opium, Æther Sulphuricus, Moschus, Assafoetida aliaque similia. Huic malo praecipue objiciuntur senes ; idemque non raro molestissimum signum Dyspepsiae est. Unum aliud autem, quod in hoc morbo maxime urgere solet, Obstipatio est ; eademque quamdiu durat felicem Dyspepsiae curationem maxime impedit, neque enim fieri potest ut Ventriculus ad integras suas actiones redeat, dum intestina alieno pondere opprimuntur. Ad alvum commode liberandam, opus est solum medi-

camentis laxantibus, veluti, Oleo Ricini, Senna, Rheo, salibusque mitioribus ; quaecunque enim nimium purgant multo magis nocere quam prodesse consuerunt. Suadet PARIS etiam ut dejectiones semper, aut medico, aut ipso aegro inspiciantur ; ita ut, ubi aspectus earum parum sanus est, idoneis remediis quam primum corrigatur. Quod si supervenerit *Epigastrii Teneritudo dolorve*, compressione adauctus, cum vomitu, pulsuque solito duriore, et aliis signis febrilibus, remedia antiphlogistica protinus adhibenda sunt. Admovenda sunt super Ventriculum hirudines, posteaque calida fomenta, vesicatoriave aut sinapismi commode adhibentur, et, si graviora signa facta fuerint, sanguis ex brachio mitti debebit, reliquaque omnia fieri quae in acuta inflammatione idonea sunt.

Ultimum consilium in Dyspepsia curanda, ut supra diximus, est Ventriculum, simulque universum corpus corroborare. Remedia autem, quae ad hoc consilium assequendum idonea sunt, dividi possunt in Amara, Aromatica, Stimulantia atque Corroborantia ; de quibus singulis pauca nunc subjicienda sunt.

Igitur *Amara* medicamenta propria quadam facultate frui videntur in Ventriculo confirmando, desiderioque cibi conciliando ; id quod docet, non solum medicorum experientia, sed etiam plebis consuetudo, sumendi simul sum potibus suis ardentibus amara aliqua, ad fractas Ventriculi vires reficiendas. Ex his optima esse videntur Anthemidis nobilis flores, amari Aurantii Cortex, Columbo, Gentiana, Cascarilla, Cinchona, Quassia ; ubi alvus irritabilis est, fortasse Columbo, ubi flatus urget, Cascarilla cum amari Aurantii cortice conjuncta. Cinchona cruda maxima ex parte Ventriculum nimis onerat ; sed nihil melius esse videtur quam Quininae Sulphas cum Extracto Gentianae, forma pilularum adhibitus, siquidem summas amaras cum summis corroborantibus viribus conjungit. Oportet tamen meminisse, quod omnia amara, nimis diu adhibita, ita non corroborant Ventriculum, sed vehementer eum infirmare soleant. Simul cum amaris conjunguntur saepe *Aromatica* medicamenta, ad priorum actionem adjuvandam. Horum praecipua sunt Cinnamomum, Nuces Moschatae, Caryophylli, Cardamomi semina, Zingiber

Oleaque volatilia. Quod ad *Stimulantia* medicamenta autem attinet, idonea sunt praecipue senibus, vel iis qui potibus ardentibus cibusque conditis nimis adhuc dediti sunt.

Ex his maxime valere videntur Spiritus Gallicus vinumque Hispanicum, cum Capsici Annui vel Sinapeos Albae semine, quorum ultimum tum maxime prodesse videtur cum intestinorum secretiones impediuntur. Stimulantia recte adhibita saepe multum in Dyspepsia prodesse PARIS *, inter alios multos, affirmare non dubitat. Praecipua pars autem medicinalis curationis hujus morbi in usu *Corroborantium* medicamentorum consistit. Ex his, quatenus ex regno vegetabili comparantur, multa jam sub capite amarorum enumeravi, ut quae pariter et amara et corroborantia sint. Ex regno minerali autem non pauca, eaque validissima, obtinentur ; qualia sunt multa acida, Ferrum, Cuprum, Zincum, atque Bismuthum. Creduntur acida mineralia tum maxime proficere cum sudores per noctem copiosi sunt, Ferrum autem cum habitus corporis chloroticus est, sed ante omnia Bismuthi

* On Diet, p. 273.

subnitras valere dicitur in infirmo Ventriculo confirmando *, maxime ubi vetus ejus morbus est, atque jam ad vitium aliquod organicum spectare videtur. Quod si jecur male se habet Hydrargyrum fortasse optimum remedium est in forma Pillularum ejus cum Hyoscyamo. Laudatur maxime ab ABERNETHY, sed aliis multo minus quam ei placet : cum sarsaparilla conjunctum, creditur a WILSON PHILIP † in longis exemplis Dyspepsiae multum valere. Huic capiti quoque referri fortasse debet Acidum Hydrocyanicum, quod tantopere in vetusta Dyspepsia ab ELLIOTSON ‡ commendatur, a minimo uno ad minima tria quatuorve ; atque adeo Pulvis Ipecacuanhae Compositus, qui in mitioribus ejus formis a JOHNSON laudatur, a granis duobus ad quatuor senis aut octonis horis. Ab aliis succus gastricus bestiarum, et a PHILIP bilis bovina inspissata, aliquatenus prodesse in Dyspepsia dicuntur, posterior maxime quia alvum mo-

* Abercrombie, Philip, Johnson, Armstrong, &c.

† On Indigestion, p. 203.

‡ Cases illustrative of the Efficacy of Prussic Acid in Affections of the Stomach.

vet. Reliqua remedia corroborantia in hoc morbo sunt Galvanismus aut Electricitas per Ventriculum transmissa, Frigida lavatio, Frictiones epigastrii, aut manu, aut strigili ad id apto, et usus pannorum laneorum circa ventrem obvolutorum; verum haec omnia non tam ad medicamenta, quam ad diaetam atque regimen pertinere videntur.

* Wilson Philip on the Vital Functions, pp. 155 and 314.

FINIS.



KING'S *College* LONDON

TOMMIS
PAMPH. 130K RC827 MAR

Library

MARTEN
DYSPEPSIA
1832

201094998 9



KING'S COLLEGE LONDON



